

B. C. D.  
DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICAE  
DE

**COLICA SANGUINEO-  
SPASMODICA**

ET  
**VENÆSECTIONE IN IL-  
LA PRO SPECIFICO  
HABENDA,**

QVAM  
SUB UMBONE

**DN. GEORGII DE-  
THARDINGII,**

Medic. Doct. & Profess. Publ. Ordin. Facultatis Medicæ, Col-  
legii Ducalis & totius Academiæ Senioris, Collegii Natur.  
Curios. Collegæ, ad h. a. Decani,

Fautoris ac Præceptoris æstumandi,

**PRO DOCTORALI DIGNITATE**

Immunitatibus atque privilegiis rite impetrandis  
Eruditorum disquisitioni submittit

AUTHOR

**JOH. ERNESTUS KINDLER;**

Wismariensis,

d. 27. Octobr. 1729. horis locoque consuetis.

**R O S T O C H I I,**

Typis IO. IAC. ADLERI, SEREN. PRINC. & ACAD. Typogr.



*VIRIS ILLUSTRIBUS,*  
MAGNIFICO, AMPLISSIMO, CONSULTIS-  
SIMO, EXCELLENTISSIMO,  
**DN. JOACH. HENRICO**  
**SIBRAND,**

S. REGIÆ MAJ. SVECICÆ TRIBUNALIS, QVOD WISMARÆ  
FLORET, ASSESSORI GRAVISSIMO,  
*PATRONO AC MOECENATI SUO. SUMMA ANIMI*  
*OBSERVANTIA COLENDO,*

Nec non

PRÆNOBILISSIMO, EXPERIENTISSIMO,  
EXCELLENTISSIMO,  
**DN. JOANNI GEORGIO**  
**BARNSTORFF,**

MED. D. FAMIGERATISSIMO, SERENISSIMÆ DUCIS BÜTZOVIE-  
NIS CONSILIARIO AULICO, ET ARCHIATRO CELEBERRIMO,  
CIVITATIS GUSTROVÆ PRACTICO FELICISSIMO,  
*AVUNCULO AC STUDIORUM SUORUM PROMOTORI*  
*FILIALI PIETATE AD URNAS USQVE PROSEQVENDO,*

SPECIMEN HOC INAUGURALE

In debiti honoris ac gratitudinis signum & submissam  
sui commendationem, cum voto omnigenæ  
prosperitatis humillime offert,

AUCTOR  
**JOANNES. ERNESTUS KINDLER.**



DISSERTATIO  
DE  
*VENÆSECTIONE*  
*SPECIFICO ANTICOLICO.*

---

PROOEMIUM.



A tenet plurimorum Medicorum animos præjudicata opinio, ut, quæ olim à suis Præceptoribus in Collegiis proposita non sunt, vel quæ evoluta in libris Practicis quodam casu, primo intuitu & expressis verbis non offendunt, vel denique, quæ corruptæ suæ imaginationi aut hypothese in cerebro pronatæ non respondent, minime credant, multo minus experiri velint. Hoc, si instituti nostri ratio id requireret, variis ex omnibus Medicinæ universæ partibus desumptis experientis

tiis corroborare possem. Cum vero ex Pythagorea  
 hac auctoritate & pernicioso illo iudicii defectu (alii  
 enim causæ non adscribendæ sunt opiniones tales  
 præjudicatæ) quo ex remediorum operandi ratione  
 cum causa morbi collata colligere ignorant, quid  
 profit, quid noceat? maxima nec resarcibilia in ægro-  
 tos redundant damna, dum inutilibus adhibitis, uti-  
 lia sæpe negliguntur, ex Praxi rem paucis illustrare  
 exemplis expediet. De Venæsectione constat, quod  
 canè pejus & angue hanc vitarint plurimi in exanthe-  
 matibus prorumpentibus, ita ut inter primarias cau-  
 telas de febrium exanthematicarum cura observan-  
 das hæc relata sit, quod nimirum sub eruptione ex-  
 anthematum, v. gr. purpuræ, petechiarum, Variola-  
 rum &c. nunquam mittendus sit sanguis. Hic error  
 quoque constantiæ privilegium jam impetrasse vide-  
 batur, cum finem ejus facere aggrediretur *Illustr.*  
 HOFFMANNUS, (a) pluribus Venæsectionem in  
 erumpente Purpura dissvadentibus. Sic & ego novi  
 Medicum Celeberrimum, qui, cum ante aliquot an-  
 nos in Capitaneo quodam purpura detento Venæse-  
 ctionem institueret, sinistra suorum Collegarum, qui  
 malum ominabantur eventum, iudicia evitare non  
 poterat, nihilominus æger post aliquot dies sanitati  
 restituebatur. Idem infortunii genus amplissimam  
 enematum, qua nunc splendent, laudem olim ob-  
 scuravit. Qui enim didicerant, intestinis crassis  
 nulla inesse vasa lactea, usum horum in evacuandis  
 scybalis unice terminari sibi persuadebant. Hæc opi-  
 nio per manus quasi tradita est, donec *Helvetius* eorum  
 usum

(a) *Medicina Rational. Systemat. Part. III. Sect. II. p. 604.*

usum antifebrilem insigni cum laude luci exposuit, quem demum *Clar. BAGLIVIVS* Medicus Romanus, (b) sequutus est in experimento hoc adornando, licet hic sibi inventionis laudem arrogare videatur. Et increbuit adhuc Clysmatum fama, postquam *incomparabilis RAMAZZINI* (c) his ipsis ex jure cum duobus vitellis ovi paratis Monialem quandam Oesophagi Paralyti laborantem per 66. dies vivam conservavit. Possem adhuc, si rei necessitas id exigeret, talia remedia innumera recensere, quæ vel ex præconceptis nonnullorum Medicorum opinionibus, vel ex infano & intempestivo in Præceptores amore, vel ex intermissis experimentis, vel denique ex neglecta circa ægri naturam & remedii efficaciam ratiocinatione maximo ægrorum detrimento in usum non vocata sunt: Verum, cum constitutum mihi sit, totam præsentem conscribere Disputationem de ea materia, de qua ventilanda paucissimi hætenus cogitarunt, quæque nonnullis Medicorum miraculi quid alere videtur, nimirum de Specifico Venæsectionis usu in Colica, hancque Celeberrimorum in arte salutari Virorum auctoritate & ratiociniis ex admiranda corporis structura petitis firmare, plurium exemplorum recensione longius inhærere supervacaneum puto. Imploramus igitur Divini, quod omnia gubernat, Numinis auxilium, velit nostro labori benedicere, ut plurimorum ægrorum sanitas inde restitatur.

A 3

§. I. Cumi

(b) Oper. Medica Edit. Antwerp. de anno 1715. p. 146.  
 (c) Opera Medica Edit. Genev. de anno 1717. p. 174.

§. I.

**C**Um igitur Venæsectionis specificam virtutem in a-  
verruncanda Colica simus ostensuri, ante omnia ne-  
cessarium erit, ut morbi ipsius genium & naturam  
cum adfectionis modo explicemus, & his deinde  
tanquam principiis & fundamentis rationem utili-  
tatis Venæsectionis superstruamus. Priusquam vero hoc ef-  
fectum demus, ne in rubro hujus Dissertationis hæreat lecto-  
ris ambiguitas, vocabuli Specifici, quod multis tam male au-  
dit, enodationem præmittere allubescit.

§. II.

Per Specifica ut plurimum intelliguntur ea remedia, quæ  
certis in morbis, quolibet tempore, in omnibus subjectis, cer-  
tum nuquam non ac salutarem effectum præstant. Hoc sen-  
su de Lacte prædicatur, quod sit Specificum Antiptithicum,  
de Cortice Peruviano, quod sit Antifebrile, de radice Ipeca-  
cuanha, quod sit Antidysentericum, de Castoreo, quod sit  
Anthystericum, & de mercurio denique, quod sit anthel-  
minticum pariter ac Antivenereum. Graviter vero errant, qui  
sic vocabulum Specificum usurpant, taliaque remedia dari  
sibi persvadent. Quibus enim ex Physicis notum ac perspe-  
ctum est, corporum actionem ex principiis materialibus in-  
existentibus exsurgere, hancque mirum variare & mensurari  
debere ex varietate corporum, quæ actionem inter se suscipi-  
unt: Qui porro ex rationali Pathologia didicerunt, non unam  
eandemque semper materialem Causam morbum hoc vel illo  
nomine insignitum producere; Jis per consequentiam elice-  
re perfacile erit, quod mirum hallucinentur, suamque ju-  
dicii imbecillitatem prodant, qui variis unius morbi causis  
unum opponunt, unumque quadrare remedium credunt.

§. III.

Ut clariora hæc evadant, supra dictum antiptithicum  
Lac examini subjiciemus. Notum omnibus est Phthisin stri-  
cte



Et sic dictam in Ulcere pulmonum consistere ; hoc Ulcus vero à variis saepe & differentibus progigni causis, modo ab acrimonia sanguinis biliosa, modo à spasms inferiorum partium &c. sæpissime vero in subjectis rubicundo vultu conspicuis ab abundantanti sanguine. Sicuti vero in prioribus Causis remedium Antiphthificum possit esse Lac, notatis ceterum notandis, ita nullo modo proficuum esse potest in Phthisi ab abundantanti sanguine orta. Hæc enim sequenti ratione nascitur. Sanguis, qui per minutissima & debilissima pulmonum vascula circulare debet, quia copia adest, vasa distendit, distensa nimium & elatere orbata vasa resistere sufficienter copiam sanguinis nequeunt, deficiente resistentia & actione vasorum in sanguinem, hic tarde protruditur, stagnationem subit, stasin concipit. In stasi constitutus sanguis corruptioni & in pus mutationi obnoxius fit. Pus hoc modo in pulmonibus generatum exulcerat vascula pulmonalia, vasis se insinuat, & universæ massæ sanguineæ facultatem suam communicans, hanc resolvit, exagitat, circulum intendit, & Hæticam febrilem commotionem suscitatur. Et sic comparatum est cum Phthisi Plethoricorum.

S. IV.

Ponamus itaque, Medico ad talem Phthificum vocato constare, Lac esse optimum ac specificum contra Phthisin remedium; Et quia omnia signa, quæ Phthisin alias comitantur, adesse animadvertit, ad hoc specificum confugit. Certa mensura, certis temporibus propinatur Lac, & quia remedium suum specifici titulo superbit, usum hujus strenue continuat. Quæritur nunc, quis inde expectandus effectus? Lac copia ingurgitatum præprimis in Plethoricis ob laxiorem fibrarum habitum onerat ventriculum, hujus vigorem minuit, diu in ventriculo latet nec expellitur; ob moram hanc longiorem in coagulum abit: Sic distendit ventriculum, sic anxietates in præcordiis intendit, sic tussim inducit, & hoc modo Phthisin confirmat. Nec Lac solum ratione hac Phthi-

(86)

fico-Plethorico nocet. Corruptum præterea & in ventriculo coagulatum Lac pro sua indole omnia alimenta simul corrumpit, ex his impurus extrahitur Chylus, Chylus corruptus sanguini communicatus, hunc magis adhuc conspurcat, & Phthifis sic increfcit. Poftremus denique nocivus lactis in his fubjectis operandi modus eft, quod, fi etiam incorrupte ventriculo egrediatur, & vias lacteas pertranfeat Lac, tamen maffam fanguineam, quæ per fe jam copia peccat, augendo, ipfi phthifeos incremento faveat. Ex dictis igitur puto luculenter adparere, Lac non effe Specificum Antiphthificum in omni Phthifi: Et fimilj ratione res fe habet cum ceteris fupra dictis Specificis, quorum virtus omnino limitibus circumfcribitur.

S. V.

Longe aliam nos fovemus de Specificis fententiam. Ea enim remedia nobis dicuntur Specifica, quibus certus quidem & falutaris effectus obtinetur, verum eadem Causa morbi, iisdem fubjectis, & iisdem omnibus circumftantiis femper præfentibus. Sic Specifica non agunt qualitate quadam occulta, five principio minus explicabili, uti putant, qui nil nifi Specifica & Arcana crepant, fed omnis illorum actionis fufficiens adeffe debet ratio, formanda ex principiis medicamenti constitutivis, cum Causa morbi continente collatis. Quousque igitur Medico principia Specifici cujusdam & modus operandi perfpicua non funt, eousque tali remedio non fidat, faltem optime facit, fi ab ejus exhibitione fibi temperat. Incumbet ergo nobis, ut perfpicua fuppeditemus principia, ex quibus fpecificam virtutem Venæfectionis in Colica explicare & demonftrare poffumus.

S. VI.

Sine longioribus igitur ambagibus ad hunc fcopum obtinendum properamus. Circa corticem vero five etymon Vocis Colicæ commorari non noftri fed criticorum eft. nec ad rem facit, potius hoc fine mora diffracto, de nucleo folliciti fumus,

tumus, five rei ipsi inhærebimus. Idcirco sequenti Definitione generalem de Colica ideam sistimus. Est nimirum adfectus, quem Colicam adpellamus, Dolor intestinorum speciatim Coli vehementissimus, in abdomine sub ventriculo, modo in dextro modo in sinistro hypochondrio perceptus, præprimis circa umbilicum sævitiam suam exerens. Uti vero hunc non una causa semper producit, sed prout subiecta differunt, variæ eundem effectum præstant, ita differentes à se etiam exsurgunt Colicæ species, diversa in Curatione methodo profigandæ. Harum communissimæ sunt sequentes.

S. VII.

Pituitosæ s. Flatulentæ, Biliosæ & Convulsivæ apud omnes Practicos mentio reperitur: Et quidem ita, ut Pituitosæ essentiam in cruditatibus pituitosis: Biliosæ in cruditatibus biliosis primis viis inexistentibus & innato intestinorum calore in flatus resolutis, qui tunicas intestinorum & sic nervos has percurrentes nerveamque tunicam constituentes dolorose distendunt vel vellicant: Convulsivæ denique, in Sero acris sanguinis vasa sanguifera intestinorum nervosque comitantes spastice crispante reponant. De Pituitosæ præsentia testantur inflatio abdominis, dolor per abdomen excurrens magis vagus, obtusus, vomitus pituitosæ materiæ, borborygmi, flatus per os & anum erumpentes subsequente levi Doloris remissione, &c. In Biliosæ Dolor magis acerbus observatur, nauseant hæc subiecta, matutina vomituritione meram bilem acrem, in faucibus calorem relinquentem eructant, dentes exinde pruriunt, averfantur Carnosa, Spirituosa, alvus spumosa & impetuosa est, flatus foetidissimum odorem spirant. Hæc signa, testante Cl. BAGLIVO (d), optime confirmantur rauca voce, quæ ex ejus observatione omnes à bile ortos morbos comitatur. Convulsivam denique quod attinet, Symptomata omnia in hac specie adspectu sunt terribilia, Dolor est vehementissimus, variarum corporis partium adsunt convulsivi subsultus, umbilicus

B

(d) v. Ejus Opera. p. 100. & 217.

bilicus retrahitur, hypochondria cum duritie intumescunt, alvus adstricta est, extrema frigent. Priorem speciem facillime subeunt subjecta Cachectica item Sanguinea & qui Stomacho debili laborant; Alteram speciem, Cholericum qui sunt temperamenti, quique Vinosa, aromatica, butyro frixa, præprimis pinguia cum acidis juncta nimis amant, experiuntur. Tertiæ denique obnoxia sunt subjecta sicciora, Scorbutica Calida, macilenta, & quæ strictioris habitus corporis sunt. His speciebus plurimi Practicorum sunt contenti, de sequentibus altum est silentium.

§. IIX.

Verum enim vero, qui accuratas morborum historias consignarunt, præter dictas species varios adhuc atrocissimos in intestinis Dolores, Colicis in omnibus similes, à partium vicinarum læsione inductos, hincque cognominatos observarunt. Sic Nephritica vocatur ea Colica, quæ continentem suam Causam in renibus agnoscit, jure vicinitatis vero & nervorum consensus colon intestinum spastica dolorosa commotione coadfecit. Eidem consensui nervorum adscribenda sunt Hæmorrhoidalis & Hysterica nuncupata Colicæ. Fluxui enim Hæmorrhoidali inordinato facto, vel adstringentium damnosa adhibitione suppresso à regurgitante versus superiora sanguine, modo infra dicendo, Colica succedit Hæmorrhoidalis. Hysterica simili in fœminis ratione exoritur; mensibus nimirum, vel emanantibus, vel incaute suppressis, vel naturaliter cessantibus. Symptomatibus hæc duæ species stipantur fere iisdem, quæ indicavimus in Convulsiva. Optima vero cognitio hauritur ex confessione ægrorum, si anomaliam vel mensium vel Hæmorrhoidum detegunt. Aliter vero, quod Diagnosin attinet, comparatum est cum Nephritica Colica, ab aliis speciebus his signis dijudicanda. Dolor vehemens per totum abdomen excurrit, speciatim in lumborum regione subsistit & constans manet, Urina supprimitur, Vomitus inanis urget, Cephalalgia adest, alvus vehementer adstricta

stricta est, stupor pedis adfecto reni respondentis observatur, Vesica & testiculi dolent, in Paroxyfmo urina aquea, pauca, post Paroxyfimum vero vel naturali similis vel rubicunda facturate, vel fabulosa mingitur.

§. IX.

Relictis prioribus (§. VII.) recensitis Colicæ speciebus, Nephritica, Hamorrhoidalis & Hyfterica nostræ in præfenti Dissertatione erunt considerationis; Ita tamen, ut brevitatis & perspicuitatis causa, generali Colicæ Spasmodico-Sanguineæ nomine has omnes insignire nobis liceat. Ratio generalis hujus denominationis in eo consistit, quod Materialis in omnibus Causa sit Sanguis, Formalis vero Spasmus. Locorum sic adfectorum tantum ratione inter se differunt. Mirum igitur videri non potest, quod in hunc censum retulerim Colicam Nephriticam: Qui enim considerat Nephritidem esse inflammationem renum, inflammationibus causam subministrare materialem Sanguinem anomale commotum & stagnantem, subsistentem sic in renibus sanguinem nervositates renum & adjacentis intestini Coli dolorose commovere, me non errasse, facile adfirmabit. Sic quoque non omitendum putamus, quod Colica Spasmodico-Sanguinea sæpissime in sanissimis subjectis, quæ nec Nephritide, nec Hamorrhoidibus, nec mensibus suppressis laborant, obvenit; id quod ideo maxime notandum, ne Emmenagogis & hamorrhoides provocantibus infecuris remediis, ubi dispositio ægri & necessitas hoc non requirunt, paginam omnem absolvendam putent Medici, qui nimio in hamorrhoides amore insanire videntur.

§. X.

Ad modum ulterius explicandum, qui nimirum à Sanguine inducatur Dolor Colicus, progredimur. Fundamenti ergo loco intestinorum anatomica delineatio est præmittenda. Generatim itaque hic de intestinis notandum, ea esse canales

canales membranaceos, à dextro ventriculi orificio incipientes, progredi tractu, variis anfractibus interstincto & desinere in ano. Totum hoc intestinorum volumen vas sanguiferis, eodem gyroso ac intestina modo ductis, copiosissimis gaudet, & mesenterii ope superioribus lumborum vertebrais alligatur. De Colo vero intestino speciatim monendum, illud respectu ceterorum plures efformare & notabiliores flexuras, esse maximum, vas sanguiferis repletissimum & ob nerveam insignem tunicam sensibilissimum. Originem ducit in dextro latere juxta os ilei, ascendit ad renem dextrum & hepar, sub hepate inflectitur & horizontali, paululum incurvata linea sub ventriculo pergit: Hic de novo flexuram format & ad renem sinistrum descendit. Infra hunc rursus sursum versus magna efformata flexura, incurvatur & dein in rectum intestinum desinit. In via renibus, hepatis, ventriculo, lieni & vesicæ posteriori parti connectitur mediante extrema tunica. Præter hanc vero extremam membranaceam tunicam peritonæi sobolem musculosam adhuc, Nerveam & Villosam, licet hic parum conspicua, gaudet. Cellulosam vero, qui addunt tunicam, si entia præter necessitatem multiplicat. Eam enim minime peculiarem constituere tunicam, sed potius per artem enasci, is facile concedet, qui operosæ aliquando interfuit Anatomicorum encheiresi, quam in detegenda hac tunica adhibent: Mox enim intestinum aquæ calidæ immergunt, mox manibus volvunt & digitis fricant, mox inflationem cum siphone instituunt, nihilominus sæpe disparet hæc tunica. Cellulæ potius adparentes oriuntur à dilaceratis, saltim remittentibus fibrillarum propaginibus, quæ extimis duabus tunicis cohesionem præstant. Insuper tria ligamenta insunt huic intestino versus longitudinem excurrentia, sat notabilia, quæ quia ipso intestino breviora existunt, cellulas multas magnasque constituunt. Spatium inter hæc ligamenta innumeris fere valvulis ordine dispositis est distinctum.

§. XI.

Anatomicæ huic descriptioni adhuc pauca, tanquam ab omnibus Medicis pro demonstratis jam adsumpta, generalem Doloris notionem concernentia, adjungimus præsupposita. Nimirum

- (I.) Dolorem sive ingratum sensum in nobis exoriri, quando corporis quædam pars ab objecto quodam vel premente vel vellicante cum vi adfcitur: Objectum hoc sive sit internum sive sit externum, perinde est.
- (II.) Hunc ingratum sensum, objecto improporcionado præfente, in iis partibus maxime notari, quæ copiosis gaudent nervorum ramificationibus.
- (III.) Essentiam igitur Doloris consistere in fibrillarum nervearum solutione intentata, ab objecto præternaturaliter vel premente sive distendente, vel pungente sive vellicante facta: Generatim vero hic notandum: Dolorem nunquam fieri, nisi mens sana corpori insit sano: in paralyticam enim & sphacelo tactam corporis partem non cadit Dolor; nec quamvis distensionem partium excitare sensum ingratum, sed eam tantum, quæ ruptionis imminentis periculum adfert.

§. XII.

Ex simili ratione de Vasis sanguiferis præsupponimus.

- (I.) Quod sint Canales flexiles. Hinc facile distendi possunt à fluido vel abundantius inexistente vel justo magis rarefacto.
- (II.) Præter modum distensa vasa sanguini abundantia sufficienter resistere non possunt. Hinc fatiscit Sanguinis motus, & obstructions in partibus passim progignuntur.
- (III.) Hoc malum iis maxime contingit vasis, quæ subtilissimæ, debilissimæ texturæ sunt & simul tortuoso ductu per partes vagantur,

(IV.) Perpetuæ observationis est, omnia vasa comitari nervos. Et his tanquàm præmissis facile contenti esse possemus.

S. XIII.

Atenim vero, ut melior nexus adpareat, & modus nostri morbi sive Colicæ Sanguineo-Spasmodica ex observatis legitime deducatur, in præliminaribus adhuc recensebimus Subjecta, quæ huic malo, levi accedente occasionali Causa, obnoxia sunt. In genere ad hanc Colicam subeundam disposita sunt subjecta Plethorica, & quæ Temperamento gaudent vel Sanguineo, vel Sanguineo-Cholericò. Viri speciatim morbum hunc sustinent, qui nimio exercitio corpus de lassant, qui æstuentes frigido & nocturno aëri corpus obijciunt, vel frigidis potulentis tunc nimis delectantur, quibus Hæmorrhagiæ solenni tempore periodum servantes stypticis suppressæ sunt, imprimis saluberrimus in his subjectis Hæmorrhoidalis fluxus, qui laute & pancreaticè vivunt, & denique qui Venæsectionem, alias jam consuetam negligunt. Feminas haud infrequenter adoritur Colica hæc Sanguinea, quæ sedentaria sua vita mensium sibi Obstructionem accersunt, vel quæ mensibus rite fluentibus ira excandescent, vel terrore concutiuntur, aut pudenda tunc temporis à frigore non præservant. Sæpiissime vero in iis observatur, quæ post naturalem mensium cessationem circa quinquagesimum nimirum annum, manente plethorica corporis habitu, lautiori Diætâ nihil detrahunt, nec sanguinem hoc modo copiose ingeneratum phlebotomia sæpius repetita evacuant. Nec Virgines ab hoc malo immunes observamus. Fatalis enim illis annus decimus quartus, quo fororari dicuntur puella, inter innumeros alios etiam huic morbo ostia aperit. Verum de iis hoc tantum est intelligendum, quæ roseis conspiciuntur genis & manifestam cruoris copiam in venis alunt. Hæ enim, instante menstruationis incipientis tempore constantes fere de totius corporis gravitate & de infimi ventris



tris dolore tenfivo querelas ducunt , qui dolor fucceffu temporis fape , nifi per fanguineam evacuationem vel naturalem vel artificiofam materia vel fomes morbo mature fubripiatur , in manifefta Colica pathemata definere folet.

§. XIV.

Omnia (§. XIII.) dicta fubjecta, qui examinat, facile intelligit, ea Colicam Sanguineo-Spafmodicam pati, vel quod alant in venis copiofum fanguinem, vel quod hic fpirituofus nimis fit & refolutus, vel denique quod ob impedimentum circulo Sanguinis in parte quadam illatum anomale commoveatur & regurgitet. Ex his igitur fanguinis vel in motu vel in temperie lafi vitiis Doloris Colici generatio eft explicanda, id quod nunc adgredimur, ut autem ordinem fervemus in hac deductione, neceffarium erit, ut *Primo* ex Sanguine abundante in venis: *Secundo* ex Sanguine fpirituofo & nimis expando, & *Tertio*, ex Sanguine in motu fuo progreffivo impedito & regurgitante natales Colicæ Sanguineo-Spafmodicæ derivemus.

§. XV.

A Plethora igitur five præternaturali Sanguinis copia, tanquam frequentiffima noftri mali caufa merito ordimur. Intelligimus vero per hanc illud Sanguinis vitium, quo omnes hujus mixtionem ingredientis particulæ fimul ea proportione fervata augmentur, ut particulæ unius generis nullam, omnes vero fimul agentes infignem corpori adfricent noxam. Quælibet enim ab alia respondentem fuæ actioni refiftentiam experitur, ita ut æquilibrium maneat. Sic Sali alcalico aucto; Sulphureæ partes etiam proportionate auctæ, ne exceffive in has ipfas refolvendo agat, refiftunt. Sic aquearum actionem hebetant falinæ & vice verfa. Simul vero agentes, ob molem totius reactionem vaforum pro Circulo Sanguinis conferendo fumme neceffariam eludunt, hocque impedito malorum graviffimorum caufa exiftunt frequentiffima. Revertimur nunc in viam, qua egreffi fumus, dicta ad noftrum scopum

pum adplicaturi : Agit nimirum Plethora vasa nimium distendendo : (§. XII. n. 1.) Distensa & elasticitatis statu naturali orbata vasa majora tardiores efficiunt Circulum (§. XII. n. 2.) Tardior hic Circulus in minoribus & irregulariter ductis vasis facile abit in quietem (§. XII. n. 3.) ex qua tunc omnis Plethoræ nostro corpori infesta qualitas est explicanda.

§. XVI.

De Intestinis supra pronuntiavimus, quod [tortuoso & maxime irregulari ductu ad anum decurrant, (§. X.) quod vasa sanguifera eodem anfractuoso tractu hæc percurrentia sint subtilissima, (ibid) & debilissima : soboles enim sunt venæ Portæ, quæ pulsu aliisque potentiis sanguinem moventibus caret. Plethora igitur effectum suum, quem (§. XV.) descripsimus, in his intestinorum subtilissimis vasis obtinebit, sanguis nimirum stagnationem subiet, & hoc eo magis in Colo intestino, quo copiosioribus hoc repletum est vasis. (§. X.) Quiescens sic in intestinorum vasis sanguiferis cruor, hæc ob Sanguinem à tergo adfluentem distendet; Vasa omnia Sanguinem vehentia nervos habent Comites (§. XII. n. IX.) id quod maxime de intestinis valet, horum enim tunicam, quæ tota ex nervis confata est (§. X.) ingrediuntur omnia quæ ibi conspiciuntur Vasa sanguifera. His ergo à copioso sanguine stagnante distensis, tota etiam nervosa tunica distendetur: In nervorum autem distensione & præternaturali adfectione supra (§. II. n. 4.) doloris in genere essentiam constituimus: Ergo à speciali hac tunicæ nerveæ intestinorum distensione præternaturali in intestinis Dolorem oriri necesse est. Hunc Dolorem (§. IV.) nominavimus Colicam. Ergo evictum est à Plethora Colicam posse induci.

§. XVII.

Ex hac Colicæ Sanguineo-Spasmodicæ demonstratione, aliarum causarum, nimirum Sanguinis rarefacti & anomale commoti

commoti operandi & Colicum dolorem inducendi modus facile elici potest. Et operam perderemus, si eadem, qua priorem, prolixitate has prosequeremur. Brevibus igitur res absolvenda. Rarefactus proinde vocatur sanguis, quando Salinae alcalicae & Sulphureae particulae ea quantitate adsunt, & in se invicem agunt, ut aqueis & terrestribus minori quantitate praesentibus, reagendi sufficiens facultas sit denegata. Salia igitur alcalia, quia jus habent in sulphur, etiam sulphureas massae sanguineae partes in minimas particulas resolvunt, & resolutione hac & sulphurearum agitatione sanguis incalescit, & quia calore aer massae sanguinis inhærens expanditur, ipsa sanguinis moles major evadet, & vasa praeter naturam distendentur. Caetera quomodo nimirum distensa vasa quies sive stagnatio sequatur, huic vero in intestinis praesenti succedat Colica, ex §o praecedenti hic sunt repetenda.

§. XIX.

Exponenda denique restat Causa, quae in Sanguine anomale commoto & regurgitante consistit. Ex Physiologicis notum omnibus ac perspectum est, Sanguinis Circulationem subsistere non posse, si vasa, per quae transire debet sanguis, legitime non sint aperta, vel si per hæc à natura loco quodam dilacerata ad abundantem Sanguinem corpore eliminandum, effluxus huius vel incaute admissio frigore vel animi pathematibus citius justo sistitur: Sed cum utroque modo transitu prohibeatur Sanguis, regreditur hic facile sive regurgitat, & in aliis partibus vicinis & debilioribus motu renunciat. Hoc modo concipienda Colica Haemorrhoidalis & Hysterica. Si enim per has salutares in subiectis Sanguineis & Plethoricis vias Sanguini nitenti effluxus praeccluditur modis supra dictis, regredi hic debet, nisi ipse uterus & vasa haemorrhoidalia sint debilia, ut Sanguis statim ibi subeat; regressus sapissime fit ad vicina & debiliora vasa: Ergo facile conacervatio Sanguinis restagnantis in intestinorum valis, utpo-

C

te ma-

te maxime debilibus procedit : Stagnanti sic in intestinis Sanguini modo supra explicato , succedit Colica,

§. XIX.

Theoria sic Colicæ Sanguineo-Spasmodicæ tradita descendendum nobis nunc erit ad signa Diagnostica , quæ hanc speciem Colicæ ab aliis distinguunt , proponenda. Dolor igitur , qui hic adparet , vehementissimus , in eo peculiare quid habet , quod cum in aliis Colicis modo in dextro modo in sinistro Hypochondrio , modo versus umbilicum vagabunde pererret , hic fixus magis in uno loco permaneat , & præsertim sinistro lateri inhæreat. Hoc præfente æger quandoque trunco similis conspicitur , vultus vero interea , Paroxysmo præfente de rubicundo suo colore nihil remittit. Venter intumescit , totum abdomen duritiem magnam contrahit , vomitu inani angitur æger , flatibus emissis notabiliter dolor de atrociam non decrevit. Sub his signis vehemens præcordia tenet anxietas , palpitat cor , spiritus difficulter trahitur , utpote quæ Symptomata partim nervorum consensui , partim vero irregulari Sanguinis Circulo sunt adscribenda.

§. XX.

Multum vero , ad eo melius cognoscendam hanc Colicam , conferet , si Medicus causarum occasionalium rationem habeat. Sic si Plethoricus ceterum sanus homo in Diæta lauta , vinosâ , excessum commiserit , si corpus nimium exercuerit cursu aut equitatione , si fortioribus animi pathematibus indulserit nec frenum illis injecerit , & exoriretur dein in abdomine vehementissimus dolor , nunquam errabis , si Colicam Sanguineo-Spasmodicam adesse dixeris. Sic vernali tempore , quo sanguis de torpore suo excitatur , & æstivis mensibus frequentius incidit hæc Colica : Hamorrhoidariis vero & mensium fluxum patientibus infestus est valde ærfrigidus , humidus , qui fluxum salutarem facile cohibet , & sanguin-

Sanguinem sic in corpore accumulando Colicæ nostræ ansam præbet. Felicius præterea in curando hoc malo procedit Medicus, si de Hæmorrhoidibus & mensibus suppressis semper cogitet, & ex adstantibus quærat, utrum horum quid subsit, nec ne? Idem etiam de Nephritica Colica observandum, ut scilicet Medicus quæstionibus suis ad ægrum habitis immisceat quasdam, quæ in nephritide manifestanda pro pathognomonicis signis adsumi debent.

§. XXI.

Ex dictis itaque puto adparere de Colicæ Sanguineo-Spasmodicæ præsentia sufficientem, cui Medicus in Cura tuto fidere possit, certitudinem. De Eventu adhuc morbi pauca sunt adjicienda. Ubi generatim tenendum, omnes, quos Colica excercet Sanguinem, si Anticolicis vulgaribus Cura adornatur, facillime fieri Apoplecticos, Paralyticos &c. Viri speciatim inconsiderata curandi methodo ad malum Hypochondriacum, ad arthritica pathemata, imprimis vaga, ad Hæmoptysin, Phthisin &c. disponuntur. Virgines in Chlorosin, nimium mensium fluxum, febres lentas, hæcticas & viscerum adfectus inflammatorios incidunt. Fæminæ recens maritatæ sunt facile steriles, passioni hysteriçæ redduntur obnoxia: Gravida abortiuntur, nimia uteri subsequente hæmorrhagia, vomitumque & mictum Cruentum facile patiuntur. Puerperis denique exanthematicis acutis morbis est conflictandum. Si vero Colica hæc sibi relinquitur, vel Hæmorrhagia narium larga, vel Hæmorrhoides obvenientes, vel mensium fluxus malum solvunt: Aut si periculosum, uti re vera est, judices, expectare criticas tales solutiones, Colica in ovo quasi suffocabitur, si per incisam venam corpus Sanguine liberabis.

§. XXII.

Nihil adhuc superesse puto nisi methodum nostro morbo cito tuto atque jucunde medendi. Quam invenire nunc, haud

haud difficile erit, modo fundamentis communicatis cogitatione inhæreamus, & animum præjudiciis liberemus. Ut itaque primarium hoc nostri laboris momentum felices consequamur, obstacula omnia sunt removenda, quæ rationali curæ contrariantur. Si enim ullus morbus est, ad quem tollendum Specificis materiæ medicæ syllabus gravis existit, certe Colica hoc prærogativa gaudet. Qualibet anus remedium in promptu habet anticolicum, plenisque buccis, dum experientiæ patrociniū allegat, illud extollit. Hoc morbo præfente fingunt se medicos, quivis idiota, sacerdos &c. Sapissime vero cum res hæc sit altioris indaginis & supra vulgi captum, scintillæ oleum adfundunt. Operæ igitur præmium erit, nonnulla, quæ in acie stant, remedia, si æger de Dolore intestinorum conqueritur, recensere, & ex Operandi eorum modo, noxam, quæ in Colica Sanguineo-Spasmodica laborantes inde redundat, demonstrare.

§. XXIII.

Contenti vero erimus si communissimis & nostræ Colicæ infensissimis Anticolicis specificam falso illis attributam detraxerimus qualitatem. Placet igitur in his primo loco nominare *lapidem therebinthinatum*, qui calefactus abdomini, simulac de Colica conqueritur æger, admovetur. Negandum quidem minime est, quod in his lapidibus insignis virtus spasticis resistendi insultibus observetur, & quod externe non tantum, sed & interne (a) multis abdominis vitiis ipsique Colicæ vehementissimæ medeatur; Verum, ut in Colica Sanguineo-Spasmodica, quæ Sanguinem copiosum rarefactum & regurgitantem, inque intestinorum vasis stagnantem.

(a) Prostat liber, cujus rubrum est: *Des getreuen Ekarths Unwüirdiger Doctor*, in hoc p. 54. legitur de viro quodam, quod magnam pecunie vim sibi comparaverit vendendo pulverem ex Lap. Thereb. paratum, qui solus adhibitus egregie multos morbos fugavit.

gnantem pro causa habet, lapides hos rejiciam, & potius  
 damnum inde inferri & doloris incrementum adfirmem, se-  
 quentibus inducor rationibus. Cum enim Sanguis dolorem  
 hunc producat, quia stagnat & vasa distendit, aucta disten-  
 sione, necessario augebitur dolor; Distensionem vasorum  
 augent lateres tales calefacti, dum calore adhuc sanguinem  
 per se copiosum magis expandunt. Ergo & dolorem Coli-  
 cum augebunt. Nec hic auctoritate desituihur, noxam  
 enim insignem à therebinthinatis calidis lapidibus jam III.  
 SCHAPERUS in Colleg. MSCto communicavit, utque cauti-  
 simus in his imponendis, ostendit.

§. XXIV.

Progredimur ad *Purgantia*, quorum virtus in Colica aver-  
 runcunda vulgo maxima censetur, dum scybala ventre eli-  
 minant, quæ materialem horum dolorum in se semper con-  
 tinere causam sibi persuadent. Licet vero confirmare mihi  
 perfacile esset, nullo in Dolore Colico, à quacunque causa  
 etiam oriatur, Purgantia drastica, acria, resinosa securum  
 constituere remedium, in præsentī tamen modum explicare  
 sufficiet, quo nostræ Colicæ incrementum promoveant.  
 Constat nimirum de Purgantibus, effectum quem edunt,  
 quoque intestina eluunt Salino acri principio competere,  
 quod vellicando intestinorum tunicas, majoremque liquidi  
 nervei adfluxum producendo, motum horum peristalticum,  
 quo ipso feces ad anum detrudit easque evacuat. Crispando  
 igitur intestinorum fibras, vasa comitantia simul strin-  
 gunt, & diametrum horum minorem efficiunt. Quia vero  
 in Colica Sanguinea, de qua sermo nobis est, vasa intesti-  
 norum, per supra dicta, repleta sunt & distenta sanguine,  
 diametro vasorum minori facta, sanguis copiosus lateribus  
 vasorum & nervosæ intestinorum tunicæ magis adproximabi-  
 tur majoremque dolorem inducet, vel concipiendo plenariam  
 stasim, intestinorum inflammationem procreabit. Nihil jam  
 dicam de particulis purgantium, quæ sanguini communi-

cantur, quæ itidem hunc expandendo doloris incrementum  
causari possunt.

§. XXV.

Eadem brevitate circa *Opiata*, quædam monenda. Qui sine his Medici esse nolunt, coeco statim, vix audito Doloris nomine, impetu ad hæc confugiunt. Verum, hæc remedia iis merito recensenda sunt, de quibus *Illustr. BACO de VERULAMIO* (a) optime pronunciat, quod adhibita tantum destituant medentum spem, quantum hanc antea in flassent. Principia enim horum & operandi modum si spectemus, nihil ipsis inest, quod tam mirifica, ut sibi imaginantur, præstat. Præter copiosum enim alcali volatile Sal, oleo crasso valde Sulphureo junctum, & ex his exurgentem resolutoriam vim (b) nihil invenimus, ex quo ad utilitatem horum in Colica Sanguineo-Spasmodica argumentari liceret. Expansam potius massam sanguineam plus adhuc expandendo, & debiles per se fibras plus debilitando, has omni resistendi vi privant, & sic facillime loco solaminis, quod expectatur, Paralyfim, uti communissime ab *Opio miuus* caute in Colica adhibito, observatur, inducant.

§. XVI.

Ulterius *Carminativa* dicta remedia considerationem merentur. Uti vero Medicorum vulgus per hæc non alia intelligit medicamenta, nisi spirituosa, omnisque generis calida corpora, sic facile erit concludere, quod causæ Colicæ Sanguineo-Spasmodicæ tollendæ minus quadrent, sed potius majoribus damnis inferendis ansam suppeditent. Licet enim concederemus, quandoque omnia signa in his subiectis deprehendi, quæ de cruditatibus præsentibus certiores nos reddunt,

(a) In aditu ad Historiam Vitæ & Mortis.

(b) HOFFMANNI Disp. de Mechanica operandi Opiatorum ratione. BERGER de Vi Opii rarefaciente.



reddunt, ut sunt ructus, flatus, borborygmi, nausea &c. nihilominus in totum improbamus Carminativorum spirituosorum usum. Cruditates enim in his subjectis effectus sunt debilitatis primarum viarum, à stagnante sanguine in vasis intestinorum, inductæ. Qui ergo debilitatis causam in cura respicit, stagnantem copiosum sanguinem educendo melius longe & sufficienti ratione ductus rem agit, ac ille, qui Carminativa calida legitima hic esse indicata ex allatis cruditatibus signis extorquet. Fieri enim fere aliter non potest, quin resolutoria calidorum actione Dolor Colicus increseat.

§. XXVII.

Postremo quoque notabile est, quod *Clysteres* etiam in Colica Sanguinea Spasmodica noxam inferre, saltem nullum solamen adferre observentur. Testem citamus hujus rei omni exceptione majorem *Incomparabilem* BAGLIVUM, Medicum ad Hippocratis genium natum: Sic inquit: (a) *Clysteres injecti nocent maximopere in his subjectis. Nam præterquam quod ab intestinorum fistula indignata convulsaque foris potenter repellantur, usu ipsorum crescit Dolor, venterque magis intumescit.* Multis quidem phænomenon hoc paradoxum, Causamque hujus inquirere, rem altioris indaginis esse videri posset: Verum si continentem nostri morbi Causam, stagnantem nempe & vasa intestinorum distendentem sanguinem probe perpendimus, inventu facilis erit hujus noxii Clysterum, alias remedium, ut putant, innocuorum, effectus ratio. Ponamus enim, injiceretur statim Colica hac accedente, Clyisma ex salinis, stimulantibus & roborantibus confectum, quid inde eveniret? Clyisma secundum innatam suam indolem leniter adstringet vasa intestinorum sanguifera, hoc est, diametrum horum angustiorum reddet: Quia vero copiosus Sanguis in vasis dictis continetur, vel

(a) Opera Medica p. 58 7.

sequeretur inde plenaria sanguinis stasis, cui facile intestinorum Sphacelatio succedit, vel regurgitaret Sanguis versus aliud corporis viscus, & forsan majori cum damno ægrotantis. Nec melior successus ex Emollientibus & paregoricis enematis est expectandus. His enim injectis, tunica vasorum intestinalium emolliuntur, emollitæ tunica majorem distensionem sustinent, vasa magis distensa reniti sive resistere nesciunt in sanguinem copiosius irruentem. Fit itaque major Circuli sanguinis irregularitas, stagnatio magis confirmatur, nervosi plexus magis premuntur. Ergo Dolor increfcit & ventris intumescencia exoritur.

§. XXIX.

Hæc sunt arma, quibus pugnandum, & hostem inconsiderate adgrediendum nonnulli Medici clamitant. Nihil jam dicam de minorum gentium dijs, qui animalium stercorea captantes hæc pleno ore dilaudant. Nec iis moror, qui candellarum recrementis, quæ emunctorio absumentur, quique fistulæ tabacali per continuatam fumationem nigrefactæ &c. nimium fidunt: Sunt enim hæc omnia, nisi penitus inermis, tamen levioris armaturæ milites. De superioribus vero remediis adhuc dicendum restat, quod minime animus nobis, fuerit, iis medicam vim in Colica avertenda detrahare, alias infra dicenda cum jam dictis harmonia carerent, vel mihi metipfi contradicerem, sed hoc tantum volui adserere, quod ab initio statim Colicæ sanguineo Spasmodicæ opposita nihil efficerent salutaris. Præmissis vero præmittendis sua cuique constat virtus & efficacia. Tantum juvat in medicina facienda ordinem servare.

§. XXIX.

Remotis itaque rationali nostræ Colicæ Curæ contrariis impedimentis, nunc Specificum nostrum Anticolicum. introducere, & rationibus ac auctoritate confirmare nobis incumbit.

cumbit. Rationes quidem & fundamentum, quare utilissimum in Colica Sanguineo-Spasmodica Venæsectio suppetit remedium, satis jam ex supradictis adparent: Ne vero quid desideretur, præstat hæc in compendio repetere. Si igitur Colica hæc Sanguineo-Spasmodica removenda est, removendæ prius sunt Causæ: his enim sublatis, morbus sponte cedit. Proxima & Materialis nostri mali Causa consistit in stagnatione sanguinis in vasculis minimis intestinorum, hanc vero inducunt sanguis vel copiosus vel rarefactus vel regurgitans: Secundum generalem igitur medendi methodum, Sanguis copiosus est evacuandus, rarefactus est corrigendus, regurgitans in circulum est redigendus. Quodcunque igitur remedium his scopis omnibus satisfacit, illud merito specificum salutatur Anticolicum: Venæsectio copiosum sanguinem optime evacuat, Venæsectio rarefactum corrigit, quia hunc sufficienter educendo vasis tonum suum legitimum restituit, denique Venæsectio regurgitantem in ordinem deducit, dum obstructa vasa referat. Ergo Venæsectio est legitimum Specificum Anticolicum.

S. XXX.

De auctoritatibus potius, ut solliciti sumus, requiritur. Licet vero apud plurimos Practicos hujus remedii Anticolici nulla reperiatur mentio, multis præterea Venæsectio in Colica absurdum remedium videatur, omni tamen auctoritate non destituimur, qua adparet, optimo cum successu expertum fuisse Practicos hujus remedii in Colica emolumentum. Sic RIVERIUS jam (a) felicissimus sui ævi Practicus venæsectionem in Colica profliganda efficacem apprehendit. Eundem successum ab instituta in Colica Venæsectione expertus est diligentissimus in observando BAGLIVIVS. (b) His

D

viris

- (a) Prax. Med. Cap. de Colica. Ejusd. Observ. 45. Cent. I. & Obs. 33. Cent. 2.  
 (b) Oper. Medic. pag. 587. & seqq.

viris non inferiores sunt HOFFMANNUS (c) STAHLIUS (d) ALBERTUS (e) & JUNCKERUS (f) qui omnes egregiam operam eo locarunt, ut hoc præstantissimum & præsentissimum in Colica remedium introducerent. Imprimis priores duo Hoffmannus atque Stahlus ea laude conspicui sunt, quod primi ad rationes Venæsectionis usum in Colica revocarint.

§. XXXI.

Hic quoque non incongruum fore judico, si sequentis casus, qui mihi anam dedit totam hanc Dissertationem describendi, communicatione, meam etiam allegem experientiam. Cum adhuc Jenæ studii medici prosequendi causa commorarer, ad *Excellentissimum* Dn. D. STÜVENIUM, Præceptorem meum, dum viveret, summe venerandum, adcurabat vir quidam honestus, Prætoris munere fungens, & in consistente ætate constitutus, consilium pro molestissimo quo sapius jam conflictatus erat, abdominis dolore, efflagitans. Vir erat, optimis naturæ dotibus præditus, habitu corporis gaudebat pleno & molli, vultu erat vegeto ex repletis capillaribus vasis sanguiferis figillatim conspicuis admodum rubicundo, ceterum sanissimo. Animus ipsi erat promptus ac vividus. Quoties hic suo muneri satisfaciendi causa, æquo citatius & vehementius vehebatur, vel etiam cursu plus justo velociori corpus agitabat, toties fere dolore acerbissimo in hypochondriis, anxietati præcordiorum & spiritui difficili implicito tentabatur; ita vehementer, ut per intervalla, diducto ore, eliso quasi omni spiritu exanimatus federet; & per unum alterumque temporis momentum in ipso sermone voce privatus conspiceretur. Adplicabantur ipsi Chysmata ex Emolli-

(c) Medicin. Consult. Tom. I. Caf. VIII. & passim.

(d) De Vena Porta Porta Malorum &c. de Hæmorrhoidum internarum motu.

(e) Libr. de Hæmorrhoidibus.

(f) Conspect. Medic. Pract. Cap. de Colicis Doloribus.

Emollientibus & Antispasmodicis constructa, eximia alias in Colica convulsiva efficacia, sed in cassum omnia, alvus quidem his eluebatur, dolor vero de atrocita nihil remittebat. Propinata sunt Carminativa abstergentibus mixta, ut Liqu. terræ foliatæ tartari cum spiritu Nitri dulcis junctus, verum cum notabili Doloris exasperatione. Nihil solaminis adferebant adhibita Absorbentia, nitrosa, cinnabarina paregoricis maritata. Verbo: omnium Specificorum Anticolicorum certissimi alias effectus, virtutem respuebat hic morbus. Sub his frustraneis medicationibus frequenter sternutabat æger, sternutatione peracta, expresso narium mucosæ strix sanguinæ erant permixtæ, hunc vero excipiebat levis narium hæmorrhagia. Hæc dicta Excellentissimum Virum supra nominatum movebant, ut longe aliter de hoc morbo ratiocinaretur, ac hæctenus erat factum. His igitur circumstantiis probe pensitatis, intestinorum natura & structura considerata & legibus Circuli Sanguinis per venosa vasa perspectis, omnem in Venæsectione spem ponendam esse, arbitratur. Nec destituebantur hæc ratiocinia sperato effectu, siquidem post missionem sanguinis ad uncias octo institutam statim spiritus difficultas cessabat, imminuebatur Dolor abdominis & adhibitis egelidis pediluvii & pulveribus nitroso-temperantibus perfectæ æger sanitati restituebatur.

§. XXXII.

Postquam igitur Venæsectionis usum specificum in Colica Sanguinea Spasmodica per rationes & auctoritates demonstravimus, quædam adhuc circa ejus usum adjungenda sunt monita. Nimirum

- (I.) Statim ac æger conqueritur de Doloꝛe atrocissimo in abdomine, & ex supra allatis signis cognoscitur, ægrum Doloꝛe Colico ex Sanguinea causa laborare, neglectis omnibus aliis remediis ad Venæsectionem est confugiendum.

D 2

(II.) Si

- (II) Si initio Doloris Medicus non adesset, & Venæsectio neglecta fuisset, contra multis remediis æger jam obrutus conspiceretur, ratio habenda est virium: Si constant, statim sanguis mittendus, sin minus, non.
- (III) Quantitas Sanguinis mittendi varia determinari debet pro varietate subjectorum, nec minus pro atrocità doloris. Si hic vehementissimus est, largior quantitas, sin mitior, minor quoque sanguinis copia extrahi debet.
- (IV.) Si subjecta manifestæ plethoricæ constitutionis sunt, Venæsectio quoque alias jam adsveta intermissa fuit, ad XII. vel X. quandoque pro circumstantiis ad XII. uncias sanguis educatur. Idem valet de subjectis, quæ nimis rarefactum in venis cruorem alunt.
- (V.) Quæ vero ex hysterica vel hæmorrhoidaria causa Colicam patiuntur, consequenter ex anomalo sanguinis motu, his subsistendum in uncis VI. ad summum VIII. ne Colica curata Hæmorrhoidalis vel menstruus fluxus plane subsistat.
- (VI.) In his subjectis quoque convenientius est, venam secare in pede; ob vicinitatem enim sanguis magis loco adfecto educitur, nec facile in hæmorrhoidariis & menstruantibus anomalum post se relinquit fluxum, quippe qui prius observatur, si in brachio Venæsectio adornatur: Ob stimulum enim sub sectione venis impressum, sanguis superiora versus commovetur, & inferiora in spasmò confirmantur.
- (VII.) Manifesta si simul accedente Dolore adsunt Cruditatis signa, proficuum erit & curam facilitabit, si laxantem quandam potionem, v. gr. ex Manna, Cremore Tartari in Aqua fl. Chamom. nostr. decoctis Venæsectioni vel præmittamus vel postponamus.

§. XXXIII.

Nullatenus vero putandum, quia remedium nostrum specifiçi titulo insignivimus, ac si omnis ægri salus in sola absolva-

absolvatur Venæsectione, hacque peracta conquiescendum fit Medico. Specificum enim eam ob causam hanc adpellavimus, quia præsentibus supra dictis causis, Colicam Sanguineo-Spasmoticam inferentibus, has præsentaneè tollit. Indetamen non sequitur, omnes effectus, quos reliquerunt causa, quique corpori ex his illati sunt, statim etiam cessare debere. Nam uti vulneratus quis remoto gladio, tanquam causa, quod vulnus infixit, Dolore suo ac vulnere non statim liberatur, sed medicamentis & deligationibus opus fit; Ita simili modo hoc procedit in Colico Dolore: Dolor enim & vulnus æse invicem nonnisi ut majus & minus differunt. Dolor nempe est soluta unitas in fieri, vulnus vero in factotalis. Erit igitur, ut officio nostro satisfaciamus, necessarium, media proponere, quibus sic sopito Dolore effectus etiam demulcere & radicitus morbum extirpare queamus.

§. XXXIV.

Cum vero tota morbi nostri ratio in spastica vasorum nervorumque intestinalium adfectione consistat, effectus exinde in corpus erunt iidem, quos spastica pathemata in genere subsequi observamus. Ita constantis experientia est, spasticos insultus magnam pro indole spasmorum excipere debilitatem, ut ideo non dubitaverit *Illustr.* Hoffmannus (a) hoc phænomenon inter perpetuas motuum microcosmicorum leges recensere. Contra debilitatem ergo intestinorum, quaque hanc facile sequuntur symptomata medicamentis nobis erit militandum. Hæc igitur optime desumuntur ex Abforbentibus saturatis, salibus mediis & Cinnabarinis junctis, Nervinis, Tonicis, &c. Sic Lap. 69. citrat. Conch. satur. Succin. alb. præparat, Tartarus Vitriol. Cinnab. nat. præpar. Castoreum &c. Pulveres ingredi possunt. Essentia materiam optime præbent Elix. Balsamicum Hoffm. Ess. Carmin. Wedel. Ess. Pimpinella, spirit. Nitri Dulc. Ess. Absinth. compos., Centaur. minor. Liqu. C. C. succin. Liqu. terræ fol. Tartari, Ess. Succini; Ess. Castor. Cort. Aurant. Liqu. anod.

(a) Medic. Ration. System. Tom. II. p. 79.



anod. miner. Hoffm. &c. Nec inconveniens erit externe abdomini adplicare, quæ tonum huic restitunt. Si scætant intestina cruditatibus, & ager ex flatibus molestiam sentit, Curatio ea institui debet, quæ in Cruditatibus auferendis invenit locum. Plura si obveniunt post Venæsectionem in Colica admissam, symptomata, quilibet ea facile dijudicare ex generali fundamento, quod in debilitate posuimus, seducere & convenientibus remediis iis resistere poterit.

§. XXXV

Restat tantummodo, ut agrum sanitati plenarie restitutum à recidivis præservemus. Præter Venæsectionem sæpe repetitam, scopus hic optime obtinetur Diata, ut ex rebus Non-naturalibus ager noxia fugiat, proficua vero commendata sibi habeat. Vitanda igitur sunt omnia gelatinosa, pultacea, carnosa, aromatifata, fumo in durata, nimis salita, Spirituosa, narcotica &c. Oleracea è contrario speciatim ex brassica brunna, spinachia, chærefolio cum passulis præparata pulmenta frequenter in victu sunt adhibenda. Animus sit tranquillus, Aer serenus temperatus, non calidus non frigidus nimis; Potus sit dilutus, sufficiens, corpus motu exerceatur, tamen ut modus teneatur in rebus, quies vero cavenda nimia. In Plethoricis somnus sit parvus, meridians plane interdicens; In Cholericis vero liberalitas in somno, si alias per naturam hunc capere licet, non nocet. Hic contrahimus vela, Deoque Q. M. gratias, quas possum agere maximas, persolvo pro præstita sua gratia, quod tam felicem nostro labori imposuerimus.

**F I N E M.**

DOCTIS.



DOCTISSIMO atque PRAEGLARISSIMO  
DN. JOHANNI ERNESTO KINDLERO.

Candidato Medicinae dignissimo, Auctori hujus dissertationis  
eruditissimo, Fautori & Amico obseruantissime colendo  
Feliciter!

**Q**uae Tua sit virtus, & quanta modestia vitae?  
Pluribus ut dicam non opus esse reor:  
Has etenim laudes Salamus dicere cuius  
Et qui TE noscit dicere quisque potest.  
Nec TVA laudetur nostro Solertia versu,  
Doctrinae tuae splendidioris opes.  
Scilicet has praesens TVA dissertatio monstrat;  
Iudicet hinc quisquis Paeonis arte valet  
Nec mea Musa canet, quae sit facundia linguae,  
Et quae sint labiis robora grata TVIS,  
Mox aderunt etenim subsellia publica testes  
Atque canet laudes ipsa cathedra TVAS.  
Nec TE cingentes toto velut agmine dicam  
Virtutes; Quid enim rustica Musa canet?  
Ista recensent alii faultrice Minerva,  
Atque Tuis meritis carmina digna ferent!  
Me modo dum Summos Medici DOCTORIS honores  
Accipis, ignoro forte, quis ardor agat?  
Scribere vult calamus, quid scribere debeat, ipse  
Nescio; sic igitur paucula verba dabo:  
Gratulor ecce! Tuas Tibi Vir DOCTISSIME, laudes  
Sint TIBI multiplicis prosperitatis iter.

Ita vouet  
TVVS

Obseruantissimus cultor  
J. E. PFEIFFER,  
Ph., & S. S. Th. Stud.

Dab. Roff.  
d. XXVII. Octob.  
An. 1729.

DOCTISSIMO, adus RE DE CA  
DN. JOHANNI ERNESTO KUNZEL

Carissimo Meum, quod scripsisti mihi...  
etiam meum Tunc, quod scripsisti mihi...

Quod scripsisti mihi...  
etiam meum Tunc, quod scripsisti mihi...

Quod scripsisti mihi...  
etiam meum Tunc, quod scripsisti mihi...

Quod scripsisti mihi...  
etiam meum Tunc, quod scripsisti mihi...

Quod scripsisti mihi...  
etiam meum Tunc, quod scripsisti mihi...

Quod scripsisti mihi...  
etiam meum Tunc, quod scripsisti mihi...

Quod scripsisti mihi...  
etiam meum Tunc, quod scripsisti mihi...

Quod scripsisti mihi...  
etiam meum Tunc, quod scripsisti mihi...

Quod scripsisti mihi...  
etiam meum Tunc, quod scripsisti mihi...

Quod scripsisti mihi...  
etiam meum Tunc, quod scripsisti mihi...

Quod scripsisti mihi...  
etiam meum Tunc, quod scripsisti mihi...

Quod scripsisti mihi...  
etiam meum Tunc, quod scripsisti mihi...



Bo A 6421



Nr. 11 nur  
verknüpft


TA-20L

R

1028  
VD 17







Farbkarte #13

B.I.G.

... D.  
... UGURALIS MEDICA  
...  
... ANGUINEO-  
... ODICA  
...  
... IONE IN IL-  
... PECIFICO  
... NDA,  
... AM  
... IBONE  
... R GII DE-  
... DINGII,  
... Ordia. Facultatis Medicæ, Col-  
... miz Senioris, Collegii Natur.  
... ad h. a. Decani,  
... ptoris æstumandi,  
... LI DIGNITATE  
... vilegiis rite impetrandis  
... uisitioni submittit  
... THOR  
... US KINDLER;  
... riensis,  
... oris locoque consuetis.  
... CHII,  
... EN. PRINC. & ACAD. Typogr.

24

